

# Franckesche Stiftungen zu Halle

## Dissertatio Brevis In Locvm Pavlinvm Rom. VIII, 3.

**Heinrichs, Johann Heinrich**

**Goettinga, 1791**

**VD18 13280899**

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-214576](http://urn:nbn:de:gbv:ha33-1-214576)

XXI 143

XXI 143

X XI 143

Fr. Doct.  
Schleusner.

*DISSERTATIO BREVIS*

IN

**LOCVM PAVLINVM**

ROM. VIII, 3.

---

DR. A. THOLUCK

CONSCRIPSIT

JOANNES HENRICVS HEINRICHS  
COLLEG. REG. REPETENT. THEOL. SODALIS.

---

GOETTINGAE

APVD IO. DAN. GOTTH. BROSE

1791.

XVI 143

!BROSCHUR!  
SFIHOL: XXI AN<sup>3</sup>



Haud maioribus temere vel accessionibus  
locupletari vel praesidiis muniri dogmaticen,  
qua sororio cum ethica Christiana vinculo  
copulata amplissima facile & ornatissima pro-  
vincia theologus fungitur, quam si, quae-  
cunque docet illa aut praecipit, ad verum &  
vnicum fontem sacrum codicem reuocentur,  
sine ullius opinionis aut amore aut odio  
discutiantur accurataque exegeseos lance per-  
pendantur, & concedunt omnes, & nostra  
cum primis aetas satis illustri summorum  
theologorum exemplo experta est. Nam-  
que & videmus hac opera, num puri & illi-  
mes, an turbulenti fluant fontes, vnde gra-  
uissima vitae praecepta dimanant in huma-  
num genus: &, si turbati reperiantur, relin-  
quere eos non dubitabimus, ne prodamus  
male sedulam e pluribus potius quam púrio-

A

ribus

ribus hauriendi industria; fin integri &  
illibati, laetabimur eo magis, inuenisse, vn-  
de depromere tanti ponderis doctrinas, &  
quasi riulis in hominum mentes possimus  
deducere.

Quae quidem cauta ac circumspecta dili-  
gentia quam ad omnes, quibus a religione  
nostra imbuimur, doctrinas afferatur saluber-  
tate, nae ad palmarium illud dogma, quo  
per omnem fere dogmatices ambitum aequa-  
biliter fuso a caeterarum religionum placitis  
distinguitur nostra doctrina, non sine summo  
emolumento adhibebitur. Incidit sane hic  
locus, quo haud facile vexatiorem alium re-  
periás, in felicissima, si quis talius, aduer-  
sariorum ingenia, fortiores modo & acriores,  
modo angustiores & remissiores vindices  
nactus ipse, vt adeo vel maxime hic optare  
sueat, vt missis, ne apertum latus praebeas,  
locis illis, qui male defenduntur, omnes  
vires colligamus ad tuendas propugnandas-  
que

que illas tamquam arces, quae nullis temere aduersariorum machinis conuelli aut euerti queunt. Atque ad arma, quibus eorum impetum conatur eludere, iuste exploranda, duo in primis haec contuebimus: utrum sacer scriptor, qui de grauissima hac re exponit, ad innuendam eam primae & legitimae vocabulorum significationi insistat, an tropis, allegoriis aliisque lenociniis lumen orationi & dulcedinem paret: tum utrum unicam tantummodo explicationem receptam semel & ciuitate donatam admittant illi loci, an plures, & quamnam feligendam duca-  
mus quam repudiandam,

Et de priori quidem illo, ne propositi nostri immemores in campum tam late patente nimis excurramus, prorsus hic filemus, remittentes pleniorum harum imaginum recensum excursui cuiusdam in epistolam ad Hebraeos, cuius nouam editionem perpetua ad b. Koppii modum annotatione ad-

ornatam ipso beato viro auctore atque sua-  
fore paramus, rati, ad perlustrandas istius-  
modi imagines nullum facile N. T. locum  
opportuniorem ansam praebere, quam ipsam  
ad Hebraeos epistolam, per quam omnem  
diducta splendet perpetua imago, sicut veri-  
tate & pro istorum temporum genio venu-  
state nulli secunda, ita & a multis interpre-  
tibus foedata admodum & misere distorta.

Quocirca ad alterum illud symbolam  
quandam, paruam illam quidem, veruntamen  
non prorsus inutilem forte futuram af-  
ferre in medium & lectorum iudicio permit-  
tere animus est. Quia in re quum grauissi-  
me peccari saepenumero haud fugeret, mul-  
tis quippe, qui in hoc illoue S. S. effato of-  
fendunt, aut inuenire ibi sibi videntur, quae  
vel rationi, vt aiunt, repugnant, vel, quod  
verius dicatur, suismet ipsorum opinioni-  
bus parum conciliari queant, omni vi ni-  
tentibus, vt vocum significationes miserere  
torqueant

torqueant, iuncturas lacerent, diuellant,  
 quae non erant diuellenda, aliisque eiusmodi  
 moliminibus sensum vtcunque speciosum &  
 suis potissimum sententiis concinnantem vo-  
 cibus affingant: anxius quodammodo & tre-  
 pidans ad nouum hoc (si modo nouum ap-  
 pellandum est) interpretandi illustris loci N.  
 T. Rom. VIII, 3. tentamen adibam, veri-  
 tus vt & ipse declinare valerem scopulos tot  
 naufragiis infames. Sed vtcunque sit, bona  
 saltem conscientia hac gaudeo, me sine par-  
 tium studio omnem locum traclasse & ex-  
 minasse. Neque enim offendebam in eo,  
 quum Θεον την ἀμαρτιαν εν τῃ σαρκι κατα-  
 zeiveιν, i. e. si vulgarem expositionem sequa-  
 ris, *Deum hominum peccata puniuisse in Christo,*  
*quem & ipsum humana natura affecterat prae-*  
*dicaret, nec, si offendissem, fugare eam so-*  
*lam ob caussam & proscribere ex Apostolo-*  
*rum scriptis ausus essem sententiam, quam-*  
*etsi aliis vocibus prolatam clare tamen &*

aperte sciebam perhiberi 2 Cor. V, 21.  
 Τον γαρ μη γνοντα αμαρτιαν υπερ ημων  
 αμαρτιαν εποιησε κ. τ. λ. Sed quum in lectio-  
 nibus, quas super dogmatis partē exēge-  
 tica habere soleo, hunc locum examinarem,  
 atque ex epistola ad Hebraeos, cum qua fa-  
 miliarior iam mihi necessitudo intercedit,  
 vocis κατακριτων succurreret alia significatio,  
 augurabar, aliam forte faciem locum nostrum,  
 si nulla placitorum dogmaticorum ratione  
 habita in verborum tantummodo sensum in-  
 quireretur, gignere posse; nec se felli augu-  
 rium: exstītīt enim sensus, mihi quidem op-  
 time arridens, quem tamen, quoniam sibi  
 ipsi nimis placuisse a vero abducit quam lon-  
 gissime, eruditiorum iudicio permitto, atque  
 ut seuerissima eum castigatione disquirere  
 haud dēdignentur, omni cum candore &  
 modestia rogo.

Non est, quod nimis alte repetatur sen-  
 tentiarum nexus prioribus hunc locum iun-  
 gens:

gens: monuisse sufficiat, Paullum, qui in omni epistola id agit, ut Christianos tam e Judaeis quam ex gentibus nouae religionis castra sequotos in gratiam reducere studeat, testificando, neutros parta per Christum salutem excludi, quum in prioribus varia huc pertinentia enodasset, inde ab octauo capite ordiri magnam istam, cui inter dogmata Christiana primus locus assignatur, doctrinam, Christo nos & vires ad vitam probe pieque instituendam acceptas ferre, &, si illis bene vtamur, peccatorum veniam. Haec demonstratus, (liceat enim, quo clarius illucescat comma tertium, priora duo latina versione praemittere) ita insit Apostolus:

„Nihil, inquam, inuenias in religionis Christianae cultoribus, quod noxae vertendum sit aut poena afficiendum 1), dummodo

A 4

non

1) Οὐδεν κατακριμα nulla noxa aut poena fortius dictum pro: οὐδεν κατακριτεως αξιον.

non sensibus obedient illi 2), sed vitam castam & nouae religionis sanctitati conformatem 3) ineant: Valet enim vere haec religio, ad summum felicitatis culmen nos euectura 4), eximere nos peccati mortem parituri vinculis.”

His

2) Περιπατεῖν κατὰ σάρκα. Vitae humanae decursum cum via comparans N. T. τὸν viuere nominat περιπατεῖν, unde haud difficulter explices, quid sit περιπατεῖν κατὰ σάρκα (εν σάρκι) &c. Durius dicitur περιπατεῖν εν βρωμασι Hebr. XIII, 9.

3) Περιπατεῖν κατὰ πνευμα vid. not. 2. πνευμα ex oppos. τῆς σάρκος partem meliorem nostri in N. T. designat, quatenus non penes sensus (ψυχήν) est regimen, sed penes rationis religionisque oracula. Ponitur deinceps pro rel. Christ. praeceptis omnique quam spirat interna vi, seu pro religione ipsa. — Caeterum ταῦτα μη κατ. σ. — πνευμα glosiam redolent, & sunt ut spuria, obelo configenda adeoque & a S. Ven. Griesb. omisſa.

4) Πνευμα τῆς ζωῆς i. e. πνευμα ζωποίου ἡμας, eis ζωην ἡμας αγον. Ζωη est imago felicitatis cuiuscunque, sicut θανατος quilibet miseriam exprimit.

Quae-

His iam commate tertio subiungitur ratio  
& caussa: Το γαρ αδυνατον τε νομος, εν ω  
ηθεναι δια της σαρκος, ο Θεος του ξανθε  
νιον πεμψας εν ομοιωματι σαρκος αμαρτιας,  
ηγη περι αμαρτιας κατενεψε την αμαρτιαν  
εν τη σαρκι.

Perplexa satis atque implicita verborum  
iunctura & ipsa res, quae versu continetur,  
duplceil molestiam creavit, & mirum  
quam largam interpretationum legetem pro-  
genuit, a nobis hic post tot alios non de-  
nquo effundendam 5).

De

Quaerenda est, huius imaginis origo in  
aetate Mosaica: Deut. VI. 40. VI, 2.  
XXII, 7. sicut accuratius enucleabitur ad  
Hebr. VI, 1. Caeterum pro: ελευθερευ  
δυναται παντας ανθρωπος haud inso-  
lita figura ηλευθερωσε με Paullus loqui-  
tur; pro αμαρτια θανατος quod congruat  
πνευματι ζωης, per hendiadyn, αμαρτια  
ηγη θανατος ponit, & quum saepius re-  
petita praecedenti capite vox νομος ani-  
mo adhuc obuersaretur, non inficeto ver-  
borum lusu addit νομος τε πνευματος,  
νομος της αμαρτιας pro simplicibus  
πνευμα, αμαρτια.

5) Complures auctores, unde, si lubet, ve-  
tustiorum explicationum varietatem per-

A 5

spicere

De singulis vocibus vix est quod moneatur, quum de vocabulis *ασεξ.*, *όμοιωμα συρκος* &c. ex usu loquendi N. T. familiariter satis constet, nisi forte obseruandum sit, ταὶ περι ἀμαρτίας posse accipi vel simpliciter pro: quod attinet ad peccatum vel prὸνπερ (propter) ἀμαρτίας (Luc. XIX, 37° Joh. V, 33.) quarum explicationum utraque varias deinceps nanciscetur significationes, ex loci ipsius natura & contextu definiendas, vel denique posse suppleri προσφοραν, Συσταν, quum voces περι ἀμαρτίας, nude positae, saepenumero indigitent piaculum (ΠΝΩΨΙ, Sühnopfer). Vox κατακειμενη pu-nire, destruere exponi in N. T. solet, quae & ipsa significatio in varios tanquam ramusculos diducetur,

Jam

spicere potes, laudat b. SEMLER in *com-memoratione breui ad Rom. VIII, 3.* quae in libello prostat, cui titulum fecit *Pro-granumata academica selectiora*, Halae 1779. p. 297.

Jam triplici potissimum, quantum equidem scio, ratione vocum iuncturam (in illa enim rei cardo versatur) peruestigarunt nobilissimi interpretes. Alii enim quum antehac de vocibus περι αἰματιας 6) priori an posteriori membro annexendis tantummodo ambigerent, ecce prorsus deseruit eos & sua signa sequutus est S. Ven. DOEDERLEIN 7), qui, ingeniose, ut a tanto viro expectari fas erat, & peracute hunc vocabulorum ordinem sequitur: Θεος] κατεκρινεν το αἵδηντον τη νομος, idque (addita ratione) εν ω ηθενει δια της σαρκος; iamque accipe modum, quo id fecerit Deus: του ἑαυτας οντων πεμψας ε.ο.σ.α. και περι αἱματιας

T1065;

- 6) Notandum tamen, has voces, quae maximas molestias facessunt, abesse ex Cod. 34. Cyrillo & Chrysostomo, cuius rei momentum a Wetstenio & Bengelio omissum aut parui habitum b. SEMLER in Commendatione supra laudata clarius ostendit.
- 7) In Institut. Theol. Christian. Parte II. p. 432. sqq. vbi, quae nos delibando tantum attulimus, copiosius persequitur Venerabilis auctor.

τις; iam voces την ἀμαρτίαν εν τῇ σαρκὶ<sup>1</sup>  
per appositionem explicandi caussa additas  
censem hoc ferme sensu: & dum tali modo το  
ἀδυνατον τε γοργὸν κατενέψεν, κατενέψεν  
την ἀμαρτίαν εν τῇ σαρκὶ.

Qui τα: περὶ ἀμαρτίας ad sequentia  
trahunt, hunc instituunt nexus verborum:  
Το αδυνατον του νομος, ε. ὁ. η. δ. τ. σ. Θεος  
sc. δυνατον εποιησε seu δυνατον ειναι ωμο-  
λογησε, testatus est Deus, vere fieri id posse,  
quod per legem Mosaicam effici poterat nulla  
ratione, idque docuit πεμψας τον ἑ. ν. εν ὅμ.  
σαρκι. ἀμαρτίας. Jam commate posito se-  
quitur: καὶ περὶ ἀμαρτ. κατενέψε, ut adeo  
iungendum sit ωμολογησε καὶ κατενέψε. Iidem per: το αδυνατον τε γοργὸν adumbratam  
credunt δικαιωσιν, iustificationem, de qua  
certissime nos conuincere parum valuerit lex  
Mosaica δια της σαρκος i. e. δια την αοθε-  
νειαν, ἀμαρτιαν, quia omnes homines &  
sacerdotes adeo, quorum tamen esset, gra-  
tiam

tiam diuinam impetrare caeteris hominibus,  
& ipsi oppressi essent peccatis & imbecil-  
litatibus affecti 8). Filium ergo suum misit  
Dei benignitas eadem, qua nos, humana  
natura induitum, quippe qua praeditus esse  
debuerit, quum homines ille, non sublimi-  
ores naturas saluandas suscepisset (Hebr. II,  
16. 17.) Jam porro τα: περι ἀμαρτιῶν  
&c. accipiunt pro ὑπερ, redunduntque; adeo-  
que ad peccata nostra expianda puniuit peccata  
εν τῇ σαρκὶ in homine Christo, siue, ut non-  
nulli, verborum lusum aucupantes, reddunt:  
condemnauit peccatum, quod antea nos con-  
demnauerat.

At qui τα: περι ἀμαρτιῶν annexunt  
prioribus, vetante particula καὶ ante περι ἀμ.  
eandem sequi constructionem, sic exponunt,  
ut proprie dicendum Apostolo fuisse autu-  
ment: *Deus το ἀδυνατον το νομος εἰναι εαυ-*  
*τῷ δυνατον professus est, mittendo filium*  
*suum*

8) Saepius id in epist. ad Hebr. inculcatur  
V, 2. VII, 20-28. alibi.

ſuum (*πεμψας* — *περι ἀμαρτ.*), *Et punien-*  
*do* (*κατενερ.*) pro quo tamen durius dictum  
 illico sit: Θεος το αδυνατον επεμψε ηγη κα-  
 τενερινε (pro: mittendo & puniendo profes-  
 fus est) seu, constructione participiali, *πεμ-*  
*ψας κατενερινε.* Magis ergo verborum iun-  
 ctura, quam sensus ipsius discrimine a priori-  
 bus recedunt, nisi quod multa constituant  
 certius & accuratius definiant. Nam hic de-  
 dum τα: *περι ἀμαρτιας* ita exponere lice-  
 bit, ut suppleatur προσφορα, θυσια 9), &  
 reuocatis vocibus ad *πεμψας*, ita accipiatur:  
*misi* eum εν ὁμοιωμ. *ἀμαρτιας*, *Et misi*  
*eum περι ἀμαρτιας*, tanquam sacrificium pro  
 peccatis offerendum (en iam paronomasiam,  
 quales

9) Evidem non satis perspicio b. KOPPII  
 mentem, qui quum priorem illam con-  
 structionem praferat, tamen vel sic post  
 voces *περι ἀμαρτιας* supplendum censet  
 θυσιαν, προσφοραν, quum tamen, me-  
 quidem existimante, hoc nexus vix signifi-  
 cari possint quidquam nisi *ὑπερ ἀμαρτιας*  
 (ad expianda peccata) ut & ipse Vir Ve-  
 nerab. monuit.

quales Paullus complures seclari solet). Jamque & τοις κατεργινευ explicatur distinctius: sicuti in quolibet sacrificio poena, quam tuere debebat homo peccans, exigitur ab hostia, ita & illam, quam nos debebamus, poenam persoluit Christus. Nec dubitemi, eiusmodi explicationem priori antehabere, quum satis frequens non in epistola ad Hebraeos solum, sed & in aliis N. T. partibus imago apparet, qua Christi mors tanquam sacrificium sistitur, quibus cunctis hanc interpretationem conspirantem inuenio amicissime.

His iam meam qualemcunque explicationem subiungere liceat. Evidem τοις περι αἵμαστιας ad sequentia trahens, nihil difficultatis mouente particula ηγετη si per etiam reddatur, eorum tamen constructionem sequor, qui ad priora eas voculas reuocant. Θεος πεμψας ηγετη κατεργινε &c. i. e. eo ipso κατεργινε την αἵμαστιαν, quod eum misit non εν ομοιωματι αγγελων, sed ε. δ.

*σαργος αμ.; & cuncta haec effecit Deus το  
αδυνατον της νοησης ι. e. κατα τ. α. π. vi. pro:  
δια το του νοησης αδυνατον ειναι.* (Nach Maas-  
gabe des Umstandes, dass es dem νοηση un-  
moeglich war) cuius sensum sic mihi singo:  
prout Deus intelligebat, luculentius iam de-  
fiderari exemplum, vere eniti posse ad cel-  
sius culmen humanam virtutem, quam Mo-  
saica religio suppeditare potuit.

Et adhuc quidem potissimum interpretum signa sequutus iam in diuersa ab eo, alium significatum vocis κατανοειν attribuens, eundemque in N. T. peculiarem huic vocabulo & proprium, ut κατανοειν exprimat idem quod ελεγχειν Hebr. הַכִּיר, nostrum uebersühren, beschamen. Luculenta admodum exempla, quae hunc vocis significatiūn comprobare valeant, suppeditabunt illustres duo loci. Matthaeo quidem (XII, 41.) Ninuitas Jonae sermonibus auscultantes κατανοειν dicuntur Judaeos, qui Christi sermo-

sermones respuebant, quasi dixisset: tam  
claro suae fidei specimine exhibito declara-  
runt, posse utique ad meliorem frugem re-  
dire etiam profligatissimos homines, conuin-  
cebantque adeo Judaeos culpae suae, quod  
meliorem insigniorumque prophetam nacl  
non tamen eius praeceptis obtemperassent.  
At Hebr. XI, 7. de Noacho narratur, quod  
*δια πιστεως κατεκρινε του κοσμου*, nullo sensu  
alio, nisi hoc: tam insigni suo & conspi-  
cuo fidei exemplo commonstrauit, posse ta-  
men fieri, quod in isto aevo, de potentia  
numinis benignaque voluntate ambigente per-  
raro aut potius nunquam factitatum, vt ni-  
mirum omnem suam spem & fiduciam in Jo-  
uae promissis collocaret homo 10). Ean-  
dein ergo vim si & nostro in loco vocabulo  
*κατεκρινεν* assignamus, ut scriptum sit pro i

B 2

*ηλεγξε*

10) Bene ad h. l. adnotat GROTIUS: „conde-  
nare aliquos dicitur etiam is, qui suo fa-  
cto ostendit, quid alii facere debuerint,  
atque inde eos non idem facientes culpae  
conuincit.”

ηλεγξε, ita exponetur locus : Θεος κατενερνε (i. e. ηλεγξε) την ἀμαρτιαν (i. e. τως ἀμαρτωλς εν τῇ σαρκὶ (in homine Christo) περι ἀμαρτιας (de peccato, quas voces hac explicatione admissa tenacissime adhaerere τοις : κατενερνε nemo non videt). Proinde communatis sensum ita constituerim :

Θεος κατενερνε την ἀμαρτιαν ; conuicit homines ἀμαρτωλς & quasi rubore perfudit, locupletissimo exemplo eis ostendendo :

Περι ἀμαρτιας 11); haud quaquam esse eam legem fatalem & semel sanctitatem , ut ubique domi-

11) Nihil amplius, si voces solas spectes, sibi volunt illa : περι ἀμαρτιας, quam : quod attinet ad peccatum. At harum vocum sensus tam lubricus est & fluctuans, ut non nisi totius loci finem & nexus circumspiciendo, quid quoque loco sibi ve- lint illa, eruamus. Sic ipse Jesus Joan. XVI, 8. quum dixisset παρακλητος ελεγξετον. ποσμον περι ἀμαρτιας, idque ob- scurius prolatum vitteret, statim v. g. ad- dit, quanam mente haec dicta sint. Aliam autem profecto explicationem h. l. deside- rant voces.

dominatum teneant ἀμαρτία & σαρξ, sed posse etiam infringi eius imperium & eueri virtute & religione.

Ἐν σαρκὶ; Et cuncta haec hominibus declarauit non in angelo aut sublimiori aliqua natura, sed in *homine*, Christo puta, qui, quamquam Dei filius, & ipse tamen ἐν ὁμοιωματι σαρκὸς ἀμαρτίας mundum ingressus est. Quibus ita instituendis rem peragit Deus, νομῷ adhuc αδυνατον; qui quidem licet perfectissimus suo tempore fuerit, & omnibus numeris absolutus, quid? ipsius adeo Jovae praesenti numine sanctitus, manus tamen cernebatur & infirmus, quandoquidem eius cultores plenam & illibatam obedientiam ei adhibere διὰ τῆς σαρκὸς ηθεντον 12). — In Christo ergo, etiam si humana,

12) Patet iam hinc, in quo homines proprie ηθεντον, in hoc νομον ipsum αθενησαι a Paullo affirmari, idque haud iniucunda figura, quum & νομος quodammodo dici

humana perinde ac nos natura circumscripto vere apparuit, ad quodnam culmen, declinatis omnibus peccatorum illecebris, eniti possit humana virtus; neque tale tantumque exemplum priscus *vōmos* proferre valuit,

En

possit *νοθενηκενεγ*, quod non produxerit & educauerit tales homines, qui ipsi obtemperare valerent. — Caeterum, quas vbique Paullus sectatur paronomasiis, eas & nostro in loco cupidius arripere conspicitur haud obscure. Hinc v. 2. pro *πνευμα*, *άμαρτια* ait *vōmos πνευμάτος*, *άμαρτιας*, quia tum ex Cap. praeced. vox *vōmos* obuersabatur menti, tum v. 3. erat repetenda. Hinc vocem *σαξ* v. 3. ter repetit ad indigitandam naturae humanae imbecillitatem. Quae qui largiuntur, & dabunt mihi hoc omnes, scriptio Paulinae gnari, largientur & illud, summa vtique cum probabilitate in hocce loco, tot paronomasiarum floribus luxuriante, vocabulum *άμαρτια* in: *περι αμαρτ.* κατενρ. τ. *άμαρτιαν* duplice sensu usurpari tum vocem κατενρινεν significatu alio sumi, quam κατανρια v. 1. Neutquam latuerunt haec discrimina, sed nec argumenta mihi eripuere.

En tentiam , divina , quam profite-  
mur , religione , eiusque interprete Apostolo  
dignissimam , quaeque aptissime quadret ac  
congruat consilio , quo omnem hunc locum  
tractauit auctor . Quem quidem in omni dis-  
putatione eo tendentem , vt per Christum  
tantummodo gratiam diuinam nobis parari  
quidem , verum non nisi ea lege parari pro-  
fiteatur , vt μη κατα σαρκα , sed κατα  
πνευμα viuendum nobis sit , quid quoelio  
fortius , quid efficacius argumentum in me-  
dium attulisse putabimus , quam ipsum hoc ,  
quo religionem ; quae vitam sanctam a no-  
bis scelerisque puram postulet , eandem &  
vires suppeditare euincit ad hanc sanctitatem  
consequendam , tam illustri nobis perfec-  
tissimae & consumatissimae virtutis humanae ,  
de qua antea ambigebatur , exemplo ob oculos  
ponendo .

Hunc in finem quam scriberet Aposto-  
lus , non equidem video , quo pacto vel vti-

Ius, vel ad rem suam accommodatius versari in hoc loco potuerit, quam ipso hoc modo: „nihil nobis hominibus vere Christianis inest, quod plectatur; etenim liberati sumus & exempti vinculis νομος, ‘durioribus, quam ferre potuisset humana imbecillitas; liberati & a peccato, quod ea ipsa de causa crebrius seduxit nos & transuersos egit; liberati denique a trepido timore, quo plura Deum & grauiora nos poscere errabamus, quam quibus praestandis par effet debilis hominum virtus: existit enim aliquis, qui exemplo suo coimmonstraret, vere ad surgere posse ad insignius illud virtutis fastigium humanam naturam, & viam nobis praeeundo vestigia reliquit, quae legamus, sollertissime. En ergo, (pergit auctor v. 4.) nos perficientes illa, quae & a suis cultoribus vetus νομος exigebat quidem, at imperare parum valuit, perficientes tamen non nisi ea lege, ut μη κατα σαρκα &c. 13).

Haec

Haec est sententia mea de loco tam obscuro tantisque laqueis impedito; nouane & inaudita ante, an vetustior & a priore iam aliquo occupata, 14) ignoro, & si de hac  
re

13) Addito quarto hoc versu generaliori conclusione omnem locum consignat, cuiusmodi sententias saepius suorum animis inculcare amat Apostolus: quippe qui, quanto veterem νομον post se interuallo relinquit noua doctrina demonstraturus, eam saepenumero viam ineat, ut fusiorem disputationem praemissam eiusmodi ferme effato concludat: „Videtis ergo, in nobis impleri ea, quae maioribus nostris promissa sunt” vel: „nos praestamus ea & perficimus, quae a maioribus nostris perficie nequibant”. Cf. Hebr. XI, 40. vbi τα: Ινα μη χωρις ημων τελειωθωσι (sc. maiores nostri) idem fere valent, quod hic τα: ινα το διπαιωμα τα νομος πληρωθη εν ημιν.

14) Magnam certe inter hanc qualenkunque expositionem & ea quae protulerunt b. ERNESTI (Opusc. Theol. p. 291. & S. V. TITTMANN (dissertatio de opere Christi salutari p. 13.) deprehendi similitudinem. Si sensum quaeras, eorum vestigiis insitit interpretatio mea, si vocis κατενηγινεν significationem, in alia discedo.

re admonendus sum, feram libenter,  
 aperte professus, me, quamuis non de-  
 sultoriam plane operam huic loco attulerim,  
 obstrepentibus tamen pluribus laboribus, non  
 euoluisse omnes praecipuos interpretes. Sint-  
 ne autem probanda ea quae scripsi, atten-  
 tiorique cura digna, iudicent, qui clarius  
 me & acutius cernunt, quorum equidem  
 nullius nec laudem nec vituperationem detre-  
 ctabo: bona conscientia tutus, me, quidquid  
 obseruationum vel antehac protuli, vel dein-  
 ceps proferam nulla alia impellente caussa  
 scribere, nisi vt ingenue declarata quae  
 sentio, eruditiorum examini ea qua par est  
 modestia submittam, si forte locus, ad quem  
 iam antea patebant plures aditus, alia adhuc  
 via accedi queat facilicre & opportuniore.  
 At qui nuperrime falsioribus in me dicte-  
 riis personando, coniecturis meis quali-  
 busunque, at cum verecundia prolatis  
 odium & inuidiam contrahere allaborauit, vir-  
 erudi-

eruditus & omni a me honore colendus,  
 aequus mihi tamen erit, neque vel inscitiae vel  
 ignauiae vertet, si in palaestram cum eo de-  
 scendere recusans, neque illis, quae ad in-  
 fringendam sententiam meam, per pauca in-  
 seruit, argumentis, quibus multa reponenda  
 habeam, quidquam reposuero.

Longiori Vos, Comnitentes Honora-  
 tissimi Doctissimique alloquio salutasse, venia  
 sit: iam, quae Vobiscum per hibernum,  
 quod instat, semestre communicare animus  
 est, accipite.

*Publice* quidem hora I. diebus Lunae,  
 Mercurii & Venetiis in Collegio Repetent.  
 Theol. Dogmatices partem exegeticam (vulgo  
*dicta probantia audit*) explicabo.

Priuatim hora anteimeridiana X-XI,  
 quater per hebdomadem elementa linguae he-  
 braicae ad meam methodum tradam.

Hora

Hora III - IV pomeridiana *Epiſtolas ca-*  
*tholicas, Apocalypſin & Danielis vaticinia in-*  
*terpretabor quinis per hebdomadem horis.*

*Matheſin puram, duce Perill. KAESTNE-*  
*RO, quinques per hebdomadem docebo*  
*hora IV aut alia Auditoribus Honoratissimis*  
*commodiori.*

Alia hora a Comilitonibus Praenobi-  
 lissimis feligenda *exertitationes examinatorio*  
*disputatorias super omni Dogmatice mode-*  
*rabor.*

Priuatissimam meam operam in Latinis,  
 Graecis & Anglicis volentibus lubentissime  
 spondeo.

Quas scholas ut condecorare frequenti  
 praesentia Vesta meque eo, quo consuestis,  
 fauore complecti pergatis, Comilitones,  
 humanissime rogo,

XXI 443

b 18

